ARISTOTELIS DE CAELO

Liber Primus.

NAturæ quidem ratio & ſcientia in corporibus ac magnitudinibus, eorúmque & affectionibus & motibus, & præterea in principiis quæ huius talis naturæ eſſentiæque ſunt, tota ferè cernitur. Eorum enim quæ natura conſtant, partim ſunt corpora & magnitudines, partim corpore ſunt & magnitudine prædita: alia vero principia ſunt eorum, quæ illa habent. Ac continuum quidem eſt, quod diuiduum eſt in ea, quæ ſemper & infinitè diuidi poſſunt: corpus autẽ id quod omni ex parte ſecari poteſt. Magnitudinũ verò ea quæ in vnum diuidi poteſt, linea: quæ in duo, extremitas aut planum. quæ in tria, corpus dicitur. Nec verò præter has alia eſt magnitudo, propterea quòd tribus omnia continentur, & ter omni ex parte dicitur. Vniuerſum enim, & omnia, tribus, quemadmodum Pythagorei tradunt, determinata ſunt: quandoquidem finis, medium ac principium vniuerſi ac totius numerum complectũtur, quæ eadem illum ternionis continẽt. Itaque quòd à natura quaſi leges illius accipimus, in deorum etiam ſacrificiis hoc numero vtimur. Quinetiã appellandi rationes eodem modo attribuimus. Nã duo ambo, duóſque ambos vel vtrumque dicimus, omnes non dicimus, ſed hoc nomen ad tres primùm accommodamus. Hæc autem, vt dixi, quòd natura ipſa ita inducit, ſequimur. Ita quoniam omnia, vniuerſum, & quod perfectum eſt, non ſpecie inter ſe differunt, ſed materia tantùm & iis de quibus dicuntur, ſi fortè differant: profectò corpus ſolum perfecta erit magnitudo, quippe quod vnum tribus determinatum finitúmque ſit, in quo vniuerſi ratio conſiſtat. Cũ autem tribus modis diuidi poſſit, quaqua verſus diuiduum eſt: aliarũ

Cap. I.

(c) 2007 Comunidad Autónoma de La Rioja